4

DIFFICULTATES BREVES

PROPOSITÆ

Eximio atque Ampliss. Viro

MARTINO STEYAERT

SUPER

DECLARATIONE MENTIS SUÆ

CIRCA DOCTRINAM

De *Tarditate Conversionis*, quam se apud SANCTAM SEDEM accusare profitetur:

UBI

Et discutitur Doctrina ejus *De Conversione repentina*, atque examini Sedis Apostolicæ subjicitur.

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud JOANNEM WILLELMUM FRIESSEM Juniorem.

M. DC. XCIII.

EXIMIE ATQUE AMPLISSIME DOMINE

MIraberis fortè, nos ad *Declarationem* tuam silere tam diu, tantâque patientiâ sustinere Scriptum turbulentissimum, quo profiteris palam, accusare Te apud S. Sedem doctrinam *de tarditate conversionis*, quam Eximii Tui in S. Facultate Collegæ ut sanam & orthodoxam in Schola Lovaniensi tuentur. Verum noluimus præcipitantiores videri, aut tui similes; qui etsi ad tot Difficultates, quæ Tibi moventur undique tam graves, tanto jam tempore obmutueris; hic tamen ne unum quidem diem silere potuisti ad *Thesim* Eximii Collegæ tui, in quâ mentis tuæ circa conversionem peccatoris inconstantia obliquè notari videbatur.

Thesis erat ejusmodi: " Psal. 118. *In toto corde meo exquisivi te.* Sic tenetur peccator Deum suum exquirere, illum super omnia amando: ad quam dispositionem solet „ tantum pedetentim pervenire, cum non *adeo obvia sit amorosa illa dispositio*." Sic Thesis, defendenda 23. Februarii 1693. Præsidente *Eximio D. Guilielmo Renardi.*

Eâ ipsâ die evulgas *Declarationem* tuam, tot turbati animi signis plenam, ut quisquis te nosset, tuam esse facilè agnosceret.

Dum nuper, ais, *approbavi Declarationem Ex. D. Francisci Martin, parùm equidem cogitavi cogendum me esse intrà dies paucu-los edere non absimilem, & quidem circa doctrinam, à qua sciebar remotissimus. Coactus sum tamen.*

Quippe non jam Libellis anonymis, non jam per homines à Facultate nostra utriusque potestatis Decreto exclusos, sed per Thesim in Scholâ publicâ defendendam, ab aliquo, qui se pro dictæ Facultatis membro gerit, obliquè producor, tamquam qui faveam aut faverim aliquando sententiæ, quam hoc ipso tempore apud S. Sedem accuso.

Quot & quantæ tibi super his moveri possent *Difficultates*; si nîl nobis propositum foret, quàm difficultates movere. Ac primùm quæreremus, quo pacto approbare potuetis *Declarationem Ex. D. Francisci* MARTIN asseverantis tenere se doctrinam de Gratia per se & ab intrinseco efficaci, quem certò cônstat non ita pridem in Seminario Mechliniensi eam doctrinam ut hæreticam explosisse?

Deindè, undè tibi tam subita cum Viro isto amicitia?

An quòd juvandæ causæ tuæ adversùs tuos illos Jansenistas & Rigoristas opportunus sit?

An quòd ad augendum tuorum numerum saltem idoneus?

An quòd doctrina tua doctrinæ ipsius, & praxis praxi consentiat?

An quòd adoraverit Te, professusque sit, in omnibus se Amplitudini Vestræ obsecuturum?

An quòd eorum, qui Jansenistas oppugnant, Te Caput agnoverit?

Si me audis, numquam tibi, Vir Amplissime, excidat istud, quòd post adoratam nuper Amplitudinem tuam, vix portâ egressus, homo vel secundùm sæculum imprudentissimus, dixit: *Quàm vult iste homo adorari!*

Prætereà quis coëgit Te *Declarationem* edere? An Eximius, & nunc Magnificus, *Renardi*? Citavit, fateor hæc verba, *Non adeò obvia est amorosa illa dispositio*, & charactere italico distinxit: sed queri de hoc non potes. Nam etsi hæc verba tua sint, regulam tamen continent generalem, quâ ut ipse usus es ad stabiliendam sententiam tuam, ita

usus

usus est ille ad confirmandam suam. Neque verò propterea asseruit favere te, aut favisse aliquando sententiæ à qua nunc es remotissimus; sed favere Te illi debere, ex tuis verbis oblique insinuavit.

At Declarationem edere coactus sum, ais: *quippe non jam Libellis anonymis, non jam per homines à Facultate nostrâ utriusque potestatis Decreto exclusos, sed per Thesim in Schola publica defendendam, ab aliquo, qui se pro dictæ Facultatis membro gerit, obliquè producor &c.*

Præclarum effugium! Ideò scilicet ad tot *Difficultates* tibi *propositas*, aliaque tam multa obmutescis, quia anonyma sunt: ad hanc verò Thesim continere te non potes, quia in Schola publica præsidente Eximio ac Magnifico Domino *Renardi* defendenda est.

Benè habet: si animus Tibi est non silere ad ea, quæ anonyma non sunt, habes *Pastorem Bonum Opstratii* non anonymum, in quo tuarum de Pœnitentia Thesium doctrina (nomine tamen tuo non expresso) evertitur; habes *Quæstiones varias* ejusdem Authoris; habes *Dissertationem ipsius Theologicam de Praxi administrandi Sacramentum Pœnitentiæ:* cur siles ad hæc tam diu, qui ne uno quidem die ferre potes Thesim Eximii *Renardi*?

Nimirum terrere illum vis, & nascentem adhuc in Te Virum, ne te premat aliquando, violentè opprimere. Verùm adeò ille impetus tuos non extimescit; ut die 9. Martii, non multò post *Declarationem* tuam, rursùs præsederit Thesi, in qua eam ipsam doctrinam, cui te inimicum declaras, jam non eximiè solùm, sed & magnificè propugnat.

Sunt & alia in *Declaratione* tua, super quibus possent tibi *Difficultates* non leves proponi: sed ad id quod præcipuum est festinamus, experturi, tuanè potiùs accusantis, an eorum, quos accusas, doctrina apud S. Sedem accusanda sit?

Doctrina

Doctrina, quam se apud S. Sedem accusare profitetur Eximius ac Amplissimus Stejartius.

DOctrinam, quam apud S. Sedem accuso, ait, hæc est: *Quod qui peccatum mortale admisit, passim vel ordinariè non disponatur ad illius remissionem etiam per Sacramentum Pœnitentiæ percipiendam, nisi tardè, nisi pedetentim, per opera præparatoria: unde fit, ut nisi opera talia præmiserint pœnitentes (quod constat fieri satis rarò) primâ vice quâ ad confessionem accedunt, absolvi à Sacerdote non debeant, sed remitti donec pedetentim & tardè per opera ejusmodi ad absolutionis gratiam se disposuerint.*

Dixi, ait, QUI PECCATUM MORTALE ADMISIT: *quia de* CONSUETUDINARIIS, *quibusdam* RECIDIVIS, *rerum Fidei* GNARIS, *in* OCCASIONE *peccatorum hærentibus, & his similibus, non est quæstio; sed indefinitè de* PECCATORIBUS.

Hanc doctrinam contendi hactenus, & contendo, esse à praxi Ecclesiæ Catholicæ alienam, atque earum facile principem, quæ Eximio D. GUMMARO HUYGENS, *ipsique confœderatis sunt peculiares.*

De hac deindè accusat Eximium SULLIVANE: Virum item Eximium & nunc Magnificum RENARDI.

Sed an justè, Difficultates mox illi proponendæ ac devorandæ, ostendent.

Doctrina Stejartii examini S. Sedis subjicienda.

H*Odie absolvit Ecclesia ordinariâ lege immediatè post confessionem..... Non itaque foret juxta mentem Ecclesiæ, differre absolutionem ei, qui primâ vice cuipiam confitetur, hoc ipso quo mortale habuerit..... Numquam aliàs, nusquam alibi, sic proceditur aut processum est, in moderna Ecclesiæ disciplina. Juxta hanc utique qui primâ vice alicui confitetur, licitè absolvitur à mortali, non tantùm ubi ante confessionem multa pœnitentiæ exercitia subierit, sed etiam ubi suam saltem conscientiam sedulò discusserit, ad contritionem se excitaverit &c*, ATQUE ADEO ETSI RECENS SIT A PECCATO COMMISSO. Ita Stejartius in Thesi defensâ 4. Februarii 1690.

Hanc doctrinam etiam ad ipsam fornicationem extendit, in Dissertatione Epistolari primâ circa finem, ubi sic provocat eos, quos accusat; *Ostendans vel in eo* (Carolo Borromeo) *nutum saltem, nedum verbum, quo significetur, eum qui peccavit mortaliter*, ETIAM FORNICATIONE *v. g. si neque Consuetudinarius sit, vel Recidivus, vel in occasione proximâ hærens, absolvi non posse, nisi pœnitentiæ opera praviè exercuerit.*

Ergo juxta Virum Eximium absolvi debet fornicator, *etsi recens sit à fornicatione commissâ, & pœnitentiæ opera praviè non exercuerit.*

Etsi ad hæc castæ aures exhorrescant, nec magno molimine opus sit, ut doctrina tam fœda evertatur: visum tamen fuit, *Difficultates* paucas proponere; tum ut appareat, quàm Sacris Litteris, Traditioni, & Patribus conformis sit doctrina, quam accusat, tum ut constet, non immeritò S. Sedis examini subjici doctrinam, quam sustinet.

DIFFI-

DIFFICULTAS PRIMA.

DOcent S. Litteræ conversionem cordis, & peccatorum remissionem acquiri non solere, nisi per fructus operum, ut his testimoniis ostenditur:

Convertimini ad me in toto corde vestro, in Jejunio, & fletu, & planctu &c. Joël. 2.

Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Matth. 3.

Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cælorum. Matt. 4.

Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Luc. 13.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? .... Fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa... EX OPERIBUS JUSTIFICATUR HOMO, ET NON EX FIDE TANTUM. Jac. 2.

Expende, Vir Amplissime, utri doctrinæ hæc magis consentiant; an tuæ, quam sustines; an alienæ, quam accusas? Si, Teste Salvatore, perituri sint omnes, qui pœnitentiam non egerint; si, monente Baptistâ, faciendi sint fructus digni pœnitentiæ, ut fugiatur à venturâ ira; si, docente Jacobo, ex operibus justificetur homo: ubi, quæso, parebit Fornicator tuus, recens à fornicatione commissâ, qui nulla pœnitentiæ opera præmiserit?

DIFFICULTAS II.

DE Conversione cordis internâ judicandum est ex operibus, non ex verbis, ut patet ex hisce locis:

A fructibus eorum cognoscetis eos &c. Matt. 7.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. Ibid.

Qui habet mandata mea, & serva ea, ille est qui diligit me. Joan. 14.

Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. 1. Joan. 2.

Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. Jac. 2.

Si à fructibus cognoscendi homines; si ex observatione mandatorum judicandum de amore cordis; si fides ostendenda ex operibus; Quid censebis, Vir Eximie, de fornicatore illo tuo, qui recens est à fornicatione commissa, & nulla pœnitentiæ opera præmisit.

DIFFICULTAS III.

" Quam ineptum, ait Tertullianus, quàm pœnitentiam non adim-
„ plere, & veniam delictorum sustinere? Hoc est, pretium non
„ exhibere, ad mercedem manum emittere? Hoc enim pretio domi-
„ nus veniam addicere instituit. de Pœnit. cap. 6.

Si hoc pretio Dominus veniam addicere instituit: quâ temeritate, Vir Amplissime, veniam promittis fornicatori, recenti adhuc à fornicatione commissâ, qui pretium istud non exhibet?

DIFFICULTAS IV.

" In unum convenimus, ait Cyprianus, & scripturis diu ex utra-
„ que parte prolatis, temperamentum salubri moderatione libravi-
„ vimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis dene-
„ garetur . . . . nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad
„ communicationem temerè prosilirent, sed traheretur diu pœnitentia,
„ & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ,
„ & voluntates, & necessitates singulorum." Epist. 52.

Si scripturis ex utraque parte prolatis, istud temperamentum adhibuerint cùm S. Cypriano Patres Africani, *Ut nec in totum spes lapsis denegaretur neque tamen solveretur censura Evangelica, sed diu pœnitentia traheretur:* Quæro, Vir Amplissime, an Scripturas & Evangelium satis expenderis, dum jubes fornicatorem, à fornicatione recentem, nullis præmissis operibus absolvi?

DIFFICULTAS V.

" Absit ab Ecclesia Romana, ait Clerus Romanus, vigorem suum
„ tam profanâ facilitate dimittere, & nervos severitatis eversâ fi-
„ dei majestate dissolvere, ut cùm adhuc non tantùm jaceant, sed &
„ cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia commu-
„ nicationum, utique non profutura præstentur, & nova per miseri-
„ cordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus impri-
„ mantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia.
„ Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, si etiam ipse Me-
„ dicus interceptâ pœnitentiâ indulget periculis: si tantummodo ope-

„rit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem." Apud Cyprian. Epiſt. 31.

Quæro nunc à te, Ampliſſime Domine: An fornicatorem, recentem à fornicatione commiſsâ, abſque pœnitentiæ operibus, paſſim abſolvere, non ſit, *properata nimis remedia præſtare*; ac proindè *nova per miſericordiam falſam vulnera vulneribus imprimere? Miſeris ad everſionem majorem & pœnitentiam eripere? Interceptâ pœnitentiâ, periculis indulgere? Vulnus tantummodo operire, nec ſinere neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem?*

Quæro, inquam, an hoc non ſit *Romanæ Eccleſiæ vigorem profanâ facilitate dimittere & nervos ſeveritatis*, quos tam generosè tenuit Clerus Romanus, *everſâ fidei majeſtate diſſolvere?* Quomodo enim magis diſſolvere poſſis non video, qui & opera pœnitentiæ tollas & moram.

DIFFICULTAS VI.

"SI vulnus corpori inſligatur, ait Origines, aut os confringatur, aut „nervorum junctura reſolvatur, ſub unius horæ ſpatio hujuſmodi „vulnera ſolent corporibus accidere, & plurimis poſtmodum cruciatibus „& doloribus exactis, multo vix tempore ſanari ... Tranſi nunc ab „exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties „vulneratur ... Hæc ergo & hujuſmodi vulnera quanto tempore putas poſſe ... curari? Sed nos vel cupiditatibus ſæculi amentes effecti, vel vitiis inebriati ſentire non poſſumus, quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus. Et ideò conſequentiſſima ratio eſt pœnæ, id eſt, curæ & medicationis tempus extendi, „& per unumquodque vulnus pro qualitate plagæ medendi quoque „ſpatia propagari." Homil. 8. in cap. 13 & 14. Num.

At tu, Vir Ampliſſime, negas à curatione corporis ad curationem Animi rectè duci exemplum. Fornicatorem ſcilicet, recenti adhuc fornicationis vulnere, dum ſuo veluti ſanguini innatat, curas repente; & nullo medendi ſpatio, nullis operibus præmiſſis, ſanitati reſtituis.

DIFFICULTAS VII.

„NOnnulli ideò poſcunt Pœnitentiam, ait Ambroſius, ut ſtatim ſibi „reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, „quam Sacerdotem ligare: ſuam enim conſcientiam non exuunt, Sacerdotis ligant." Lib. 1. de Pœnit. cap. 16.

Si juxtà Ambrosium suam conscientiam non exuant, Sacerdotis autem ligent, qui petitâ, sed nondum actâ Pœnitentiâ, reddi sibi communionem volunt: quid de Fornicatore tuo, Vir Amplissime, quem recentem à fornicatione commissa, sine operibus præviis absolvendum esse decernis?

"In ipsa Ecclesia, inquit idem, ubi maximè misereri decet, teneri „ quam maximè debet forma justitiæ: nè quis à communionis con- „ sortio abstentus, brevi lachrymulâ, atque ad tempus paratâ. vel etiam „ levioribus fletibus communionem, quam plurimis debet postulare „ temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat."

Subjungit: "Hoc ideó dictum est, ut sciamus secundum verbum „ Dei, secundum rationem, dispensandam esse misericordiam Dei de- „ bitoribus." In ℣. 58. Psal. 118.

Vide ergo, Vir Eximie, an *Secundum verbum Dei, an secundum rationem*, misericordiam Dei dispenses, qui nè brevem quidam lachrymulam, aut fletus leviores postulas à fornicatore, sed recentem à fornicatione jubes absolvi?

DIFFICULTAS VIII.

Augustinus in ℣. 4. Psal. *6. Et anima mea turbata est valdè, & tu Domine, usquequo*, ita scribit: "Quis non intelligat signifi- „ cari animam luctantem cum morbis suis: diu autem dilatam à Me- „ dico, ut ei persuaderetur in quæ mala se peccando præcipitaverit? „ Quod enim facile sanatur, non multum cavetur; ex difficultate autem „ sanationis erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Non ergo tan- „ quam crudelis Deus æstimandus est, cui dicitur, *Et Tu, Domine, us-* „ *quequo*; sed tamquam bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa „ pepererit"

Expende, Amplissime Domine, an Deum in sanandis lentè peccatorib..s imiteris, qui fornicatorem à fornicatione recentem sine mora absolvis.

Idem in Psal. 106. "Potuit, inquit, hoc Dominus sine difficultate „ præstare; sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus „ boni non agnosceremus. Si enim primitus, cum vellet, posset, & non „ sentiret adversus se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis grava- „ ta anima collideretur, suis viribus tribueret, quod se posse sentiret."

Expende rursus Vir Amplissime, an huic divinæ gratiæ dispensationi tua doctrina & praxis conformis sit: expende, inquam, an periculum

ingens non sit, nè conversionem suam suis viribus tribuat fornicator, qui recens a fornicatione absolvitur.

DIFFICULTAS IX.

„ Melius est, ait Chrysostomus, immundo luto pollui, quam peccatis. Nam qui illo est inquinatus, brevi tempore abluitur & „ redditur ei similis, qui nec ab initio in illam incidit voraginem. „ Qui autem cecidit in barathrum peccati, accipit inquinamentum, „ quod aquâ non mundatur, sed multo eget tempore, perfectaque Pœ- „ nitentiâ, lachrymisque ac planctibus, majorique ac vehementiori „ lamentatione, quam quæ propter charissimos ostenditur. Nam hæ „ quidem sordes ad nos extrinsecus adveniunt, & ideò eas citò de- „ ponimus: illæ autem oriuntur intrinsecus, & ideò vix eas abluentes „ emendamus." Hom. 12. in Epist. ad Heb. in Morali.

Quomodo cum his repentina illa tua conversio, Vir Amplissime, consistit? Si tibi credimus, jam haud multo difficilius à peccato fornicationis per absolutionem mundatur fornicator, recens etiam à fornicatione commissâ; quam à luto per aquam abluatur, qui eò inquinatus est.

At si Chrysostomo credis, qui incidit in barathrum peccati, *multo eget tempore, & vix sordes abluens emendat.*

DIFFICULTAS X.

„ Signum veræ conversionis non est in oris Confessione, sed in afflictione Pœnitentiæ. Tunc namque verè conversum peccatorem „ cernimus, cum dignâ afflictionis austeritate delere nititur, quod „ loquendo confitetur. Undè Joannes Baptista malè conversos Judæos „ ad se confluentes increpans ait: *Genimina viperarum quis ostendit vo-* „ *bis fugere à ventura ira: facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ* In fructu „ ergo, non in foliis, aut ramis, Pœnitentia cognoscenda est. Quasi „ arbor quippè bona voluntas est. Confessionis ergo verba quid sunt „ aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter ipsa, sed propter fru- „ ctum expetenda sunt: quia idcirco omnis Confessio peccatorum reci- „ pitur, ut fructus Pœnitentiæ subsequatur. Undè & Dominus arbo- „ rem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia Confessionis or- „ natum non recipit, sine fructu afflictionis." Greg. lib. 6. in Reg. cap. 15. versus finem.

Si ſignum veræ converſionis non eſt in oris Confeſſione ; ſed in afflictione Pœnitentiæ : ſi tunc verè converſum peccatorem cernimus, cum dignâ afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur : ſi in fructu, non in foliis aut ramis, Pœnitentia cognoſcenda eſt: ſi Confeſſionis ornatus recipiendus non eſt ſine fructu afflictionis : Quam precor, Vir Ampliſſime, ſecuritatem polliceri potes tuo illi fornicatori, qui à fornicatione recens eſt, & non niſi folia aut ramos, nullos autem Pœnitentiæ fructus oſtendit?

DIFFICULTAS XI.

POſt tot Patres Synodus Tridentina Seſſ. 14. cap. 2. affirmat, lapſos poſt baptiſmum non *Sine magnis fletibus & laboribus*, divinâ id exigente juſtitiâ, ad novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ pervenire poſſe.

Tu, Vir Eximie, ſine magnis fletibus & laboribus novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentlæ, vel fornicatori, etiam recenti à fornicatione commiſsâ, promittere non dubitas.

Eadem Synodus ibidem teſtatur, Pœnitentiam *Laborioſum quemdam Baptiſmum* à Patribus dictum fuiſſe: At quomodo *Laborioſus*, ſi tam citò, ſi ſine operibus præparatoriis vel fornicator abſolvitur ?

Eadem Synodus Seſſ. 6. cap. 6. docet, peccatorum ad juſtificationem diſponi per varios actus, *Fidei, timoris, ſpei, dilectionis Dei, odii & deteſtationis adverſus peccatum, propoſiti incohandi novam vitam & ſervandi divina mandata.*

Crediſne hæc omnia, Eximie Domine, vel fornicatori recenti, tam ſubitò, ſine magnis precibus & laboribus infundi ?

Si doceat eadem Synodus ibid. cap. 13. homini jam juſtificato vivendum eſſe *In laboribus, in vigiliis, in eleëmoſynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & caſtitate*, ut juſtitiam jam adeptam conſervet : quantis, putas, opus eſſe cenſuit peccatori, ut juſtitiam, quam nondum habet, acquirat ?

Neque enim credo dicturum Te, facilius eſſe peccatori juſtitiam acquirere, quam juſtificato juſtitiam conſervare.

Vide ergo, quot Tibi vel ex ſolo Concilio Tridentino difficultates naſcantur.

DIFFICULTAS XII.

USitata hæc eſt divinæ miſericordiæ ſimul ac juſtitiæ ratio, ut Deus non niſi petentibus gratiæ ſuæ dona largiatur: Quo verò majus eſt

donum

donum quod petitur, eò diutius ac ferventius, ut impetretur, petendum est.

Porrò inter dona, quæ peccatori contingere possunt, longè præcipuum est donum conversionis:

Hoc igitur diutius, hoc ferventius, quam cætera, petendum est.

Atqui nè minora quidem dona conceduntur repentè:

Igitur nec hoc, quod maximum est, repentè conceditur.

Et quomodo repentè concederetur, cum concedi non soleat, nisi in Oratione perseverantibus; perseverari autem non possit repentè; sed moram temporis perseverantia includat?

Itaque, Amplissime Domine, vel dicere te oportet, ad impetrandum donum conversionis perseveranter orandum non esse; vel si perseveranter orandum sit, conversionem passim non fieri repentè.

DIFFICULTAS XIII.

QUid ad hæc Sacrarum Litterarum, Sanctorum Patrum, & Concilii Tridentini loca responsurus es, Vir eximie? Clamant apertè ea omnia, conversionem peccatoris passim non fieri, *Nisi tardè, nisi pedetentim, nisi per opera præparatoria.* Quò te vertes?

Non aliud tibi patet effugium, quam si dicas, Scripturam Sacram, Patres, & Concilium Tridentinum, agere de *Consuetudinariis*, de quibusdam *recidivis*, de rerum fidei *ignaris*, de hærentibus in *occasione* peccatorum, & his similibus: non verò indefinitè de *peccatoribus*. Hoc enim dicturum *Te Declaratio* tua insinuat: *Dixi*, inquis, *qui peccatum mortale admisit: quia de Consuetudinariis, quibusdam Recidivis, rerum fidei ignaris, in occasione peccatorum hærentibus, & his similibus, non est quæstio; sed indefinitè de peccatoribus.*

Itaque dum opponetur tibi Joannes Baptista clamans, *Facite ergo fructus dignos Pœnitentiæ*; dices clamare eum ad consuetudinarios, ad quosdam recidivos, ad rerum fidei ignaros, ad hærentes in occasione, & his similes; sed non ad peccatores, atque adeò fornicatores, quos repentè sine fructibus Pœnitentiæ converti affirmas.

Cum opponetur tibi hoc CHRISTI monitum, *A fructibus eorum cognoscetis eos*: repones, *Consuetudinarios* quidem, *Recidivos* quosdam, & his similes, à fructibus cognoscendos; at non illos quos sine fructibus doces passim converti.

Cum objicietur Tibi *Tertullianus*, asserens non alio pretio, quam pœnitentiæ, veniam addici:

Cum *Cyprianus*, & alii Patres Africani, decernentes trahendam esse diu pœnitentiam, ne Censura Evangelica solvatur:

Cum *Clerus Romanus*, affirmans nova per misericordiam falsam vulnera vulneribus imprimi, quando ipsa miseris ad majorem eversionem pœnitentia eripitur:

Cum *Origines*, docens, ut tardè sanentur vulnera corporis, ita tardè sanari vulnera animæ:

Cum *Ambrosius*, negans brevi lachrymulâ & ad tempus paratâ, communionem facilitate Sacerdotis extorquendam:

Cum *Augustinus*, docens animam luctantem cum morbis suis diù differri à Medico:

Cum *Chrysostomus*, asserverans eum, qui luto peccati inquinatus est, multo egere tempore, ut emundetur:

Cum *Gregorius*, dicens tunc verè conversum censendum esse peccatorem, cum dignâ afflictionis austeritate delere nititur quod loquendo confitetur:

Cum *Concilium Tridentinum*, definiens ad novitatem & integritatem non sine magnis nostris fletibus & laboribus per Sacramentum pœnitentiæ perveniri; Penitentiam esse laboriosum baptismum &c.

Una erit ad omnia responsio: Patres & Concilia agere tantum de *Consuetudinariis*, de quibusdam *recidivis*, de rerum fidei *ignaris*, de hærentibus in *occasione* peccatorum, & his similibus; non autem indefinitè de *peccatoribus*.

Sed quid hoc est aliud, quem Patres & Concilia non ultra velle admittere, quam præconceptæ jam opinioni tuæ consentiunt; ubi verò adversantur, rejicere? Dic, quæso, ubi sic inter peccatores distinguat Tertullianus? Ubi Cyprianus & Patres Africani? Ubi Clerus Romanus? Quos omnes non de Consuetudinariis, non de recidivis; sed de lapsis semel, & lapsis in gravi persecutione, loqui certum est? Dic ubi sic distinguant Origines, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Gregorius? Dic ubi sic distinguat Tridentinum Concilium? Aut ubi sic interpretetur Patres, ut ab illis quidem Pœnitentiæ Sacramentum laboriosum Baptismum dictum fuisse agnoscat, sed non aliis laboriosum quam *Consuetudinariis, Recidivis quibusdam, rerum fidei ignaris, in occasione peccatorum hærentibus, aut his similibus?*

Non quod asseram, eâdem omnibus morâ ac Pœnitentiâ opus esse; sed quod passim sine morâ aliqua ac Pœnitentia peccator converti non soleat.

Itaque, Amplissime Domine, aut sine restrictione Patres & Concilia

lia admitte : aut si eos restringas, quo fundamento id facias, ostende, Fallor, nisi ad praxim communem tanquam ad azilum pro more confugias : experiamur id Difficultate sequente.

DIFFICULTAS XIV.

CONcilia & Patres, inquies, explicandi sunt ex praxi Ecclesiæ : Atqui praxis Ecclesiæ est, mox post lapsum, sine operibus Prævijs, absolvere peccatores, qui aut *Consuetudinarii* non sunt, aut cujusdam generis *recidivi*, aut rerum fidei *ignari*, aut in *occasione* peccatorum hærentes, aut his similes : Igitur Concilia & Patres rectè ad hujusmodi peccatorum genera restringo.

R. Concilia & Patres ex praxi Ecclesiæ explicandos esse admitto lubens; sed praxim Ecclesiæ eam esse, quam praxim Ecclesiæ esse supponis, prorsus inficior.

Praxim Ecclesiæ scilicet eam esse supponis quæ in Ecclesia communis est : sed falleris vehementer; falli que te adeò solidè demonstravit OPSTRATIUS in *Dissertatione de Praxi administrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, ut in hunc usque diem nil ei reponere ausus fueris.

Sed quoniam *Praxis communis* unum tibi est & ultimum receptaculum, quo Scripturâ, Conciliis, & Patribus destitutus, utcumque te tueri conaris : funditus illud evertendum est, eripiendaque fulcra omnia, quibus collabescentem causam tuam infeliciter sustentas. Id verò tum demum effecero, cum probavero nullo pacto Te respondere posse argumentis, quibus illa tua de praxi communi sententia expugnatur.

DIFFICULTAS XV.

NOva argumenta non proferam, Vir Amplissime : sed ut ad vetera respondeas, postulabo.

Ac primum negatur tibi id, quod pro sententiæ tuo fundamento ponis : *Eam esse praxim Ecclesiæ, quæ in Ecclesia communis est.*

Nec alio hic utar adversus Te testimonio, quam tuo. Meministi, credo, scripsisse Te olim DECURIAM REFLEXIONUM *in duos libellos* R. P. FRANCISCI JACOPS *circa Censuram Illustrissimi ac Reverendissimi Domini* EPISCOPI ATREBATENSIS : ubi ad calcem *Reflexionum* adjicis DIGRESSIONEM DOGMATICAM *de praxi communi Ecclesiæ circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ*; in quâ teipsum refutas tam ad rem

nostram

noſtram appoſitè, ut non tam pro Cenſura Illuſtriſſimi Atrebatenſis adverſus P *Jacops*, quam adverſus teipſum pro nobis ſcripſiſſe videaris. Verba tua ſic habe.

Multos turbat (neque adeò mirum) decantatiſſima illa Adverſariorum objectio de communi Eccleſiæ praxi, quaſi hæc iſti adverſetur, quam tuetur Cenſura Atrebatenſis, practicantque bonè qui cum illa ſentiunt.

Valida certè objectio, niſi invalido niteretur fundamento. Omnino namque improbari debet, quidquid univerſæ, etiam modernæ, Eccleſiæ praxi non conſonat; ſed tali praxi, quæ juxta ſapientiſſimam Antiſtitis reflexionem, ejuſdem Eccleſiæ ſenſui ſit conformis, ſeu quæ Eccleſiæ potiùs, quam quorumdam in Eccleſia praxis, ſit. Hic autem totius quæſtionis cardo eſt, ut diſpiciatur, quænam ſit illa praxis, non quorumdam, ſed Eccleſiæ; hujuſque potius, quam illorum regulis conformata.

Ita eſt, Ampliſſime Domine: Rectiſſime tunc ſentiebas pro Cenſura Illuſtriſſimi Atrebatenſis, adverſus decantatiſſimam illam nunc tuam objectionem de communi praxi Eccleſiæ: utinam & hodie ità ſentires!

Objiciebant tunc Adverſarii tui, communem eſſe praxim Eccleſiæ, *Conſuetudinarios paſſim abſolvere.*

Tu communem eſſe eam praxim non negabas; ſed eam propterea eſſe praxim Eccleſiæ, inficiabaris: ſiquidem ad praxim Eccleſiæ non ſufficere, quod in Eccleſia communis ſit; ſed ut Eccleſiæ ſenſui & regulis conformis ſit, etiam requiri: alioquin eam quorumdam in Eccleſiâ praxim dici poſſe, ipſius Eccleſiæ praxim dici non poſſe.

Hunc autem eſſe totius quæſtionis cardinem, ut diſpiciatur, quænam ſit illa praxis, non quorundam, ſed Eccleſiæ; hujuſque potiùs quam illorum regulis conformata.

Utinam, Vir Eximie, ſic modo ſentires; omnis inter nos quæſtio ceſſaret: nunc quoniam ad nova deſciviſti, cogimur ipſi antiquum ſenſum tuum adverſus teipſum defendere.

Argumentum porrò, quo eum defendimus, hoc eſt.

DIFFICULTAS XVI.

Ea praxis eſt Eccleſiæ, quæ Eccleſiæ ſenſui & regulis conformis eſt:

Atqui praxis in Eccleſia communis, poteſt non eſſe Eccleſiæ ſenſui & regulis conformis:

Igitur praxis in Eccleſia communis poteſt non eſſe praxis Eccleſiæ.

Majorem, credo, ut admiſiſti olim; ita & hodie ſine controverſia admittes:

mittes: sed negabis Minorem, quamquam de hac olim non magis, quam de Majore dubitaveris.

Aio itaque fieri posse, ut *praxis in Ecclesia communis non sit Ecclesiæ sensui & regulis conformis.*

Siquidem fieri potest, ut, refrigescente charitate & abundante iniquitate, Ministri Ecclesiæ à sensu & regulis Ecclesiæ in praxi sua communiter deficiant: cum enim nihil difficilius sit homini corrupto, quam se sensui & regulis Ecclesiæ in praxi sua conformare; nihil etiam erit illi proclivius, quam à sensu & regulis Ecclesiæ in praxi sua desciscere.

Igitur fieri potest, ut Ministri Ecclesiæ sic communiter deficiant.

Difficultatem hanc non evades, nisi fortè dixeris promissum esse, fore ut Deus Ministros Ecclesiæ sic in praxi sua communiter deficere non sinat.

At proba quod dicis: provocatus es ab *Opstratio* in *Dissertatione de praxi Administrandi Sacramentum Pœnitentiæ*, ut vel unum locum è Scriptura vel Traditione proferres, quo simile quid promittitur; provocatus es in Disputationibus publicis non semel: sed nihil prolatum est hactenus: id unum sine Scriptura, sine Traditione assiduè repetis, Ecclesiam sic deserendam non esse.

Opposuit tibi *Opstratius* loca Scripturæ Sacræ varia, quibus ostendit, Ecclesiam aliquando deserendam vehementer; quin & veniente filio hominis futurum, ut vix inveniat fidem (quidni & sanam praxim) in terra.

Verum ad hæc fere reponis nihil, nisi tuum illud: *Praxis communis est praxis Ecclesiæ*; proindè fieri non posse, ut praxis communis sana non sit.

Sic turpiter contrà leges Dialecticæ, dum principium tuum probare deberes, petis principium.

Conaris tamen aliquando principium tuum probare: sed quam infeliciter, nunc dispiciemus.

DIFFICULTAS XVII.

Ecclesia, inquis, sunt Pastores Ecclesiæ & plebs Pastoribus adunata; igitur illorum praxis est praxis Ecclesiæ.

Ad hoc responsum est tibi, fieri posse ut & Pastores Ecclesiæ & plebs praxim aliquam exerceant, sic tamen ut eam ipsi non probent: v. g. fieri posse ut Pastores Ecclesiæ, vel difficultate territi, vel cupiditate

 victi,

victi, Consuetudinarios passim absolvant; etsi eos absolvendos non esse, satis sciant.

Similiter fieri posse, ut dum rem non examinant, praxim aliquam exerceant & probent; quam tamen, si discuterent penitiùs, minimè probarent.

Denique fieri posse, ut privatim plerique praxim aliquam non exerceant solum, sed & probent; quæ tamen si communi Ecclesiæ consilio, auditis sententiis mutuis, discuteretur, nequaquam sanè ab Ecclesia probaretur.

Pone v. g. plerosque per Orbem Episcopos antè Concilium Tridentinum non prædicasse verbum Dei, quin & sensisse privatim singulos, se ad illud prædicandum non teneri: credisne futurum fuisse, ut idem sentirent in Concilio? Ubi res penitius discutiebatur? Ubi mutuæ sententiæ audiebantur? Ubi sententiam dicentibus Spiritus S. assistebat?

Ad hæc nihil Amplitudo Tua: nisi fieri non posse, ut praxis aliqua in Ecclesia communis sit antè Concilium, quæ deinde improbetur in Concilio.

Si rationem postulamus, nullam adfers: sed id ita esse supponis. Cur? Quia alioquin falsum esset tuum principium: *Praxis communis est praxis Ecclesiæ.* Sic in circulum volveris, & ad principium tuum usque & usque revolveris. Dum enim principium tuum probare vis, id assumis, quod si negetur, per aliud probare non potes, quam per ipsum principium, quod probandum est.

Et hæc quidem sufficerent ad repudiandum principium quod astruis: sed lubet illud aliis argumentis funditus evertere.

DIFFICULTAS XVIII.

SI praxis in Ecclesia communis sit praxis Ecclesiæ, jam praxis absolvendi passim Consuetudinarios est praxis Ecclesiæ: nam hæc praxis in Ecclesia communis est.

Atqui hoc ne Amplitudo quidem tua admittit: Ergo &c.

Vim hujus argumenti effugere non potes nisi negando id quod olim Patri Jacops concedebas, *praxim absolvendi passim Consuetudinarios esse praxim communem*: Nunc quoniam ab ea mente descivisti; alios adversus te præter teipsum testes adduxit OPSTRATIUS in *Dissertatione de praxi Ecclesiæ.*

Primus est PETRUS A SOTO, qui praxim illam suo tempore communem

munem fuiſſe teſtatur. Verba ipſius vide in *Diſſertatione* citata. P. 1. Cap. 1. §. 4.

Alter eſt Autor *praxis ſolidæ*, qui non alio propè argumento nititur, quam tuo, Ampliſſimè Domine, ut praxim abſolvendi paſſim Conſuetudinarios defendat. Vide Ibid. p. 3. cap. 1. §. 1.

Tertius eſt P. Jacops, qui eandem illam praxim, *totius Eccleſiæ* eſſe affirmat. Vide Ibid.

Huic accedunt Autores quadraginta omninò tres, quos pro ſe citat. Ibid.

Approbatores item ex omni parte Orbis Catholici quam plurimi, qui praxim illam *praxi Eccleſiæ conformem eſſe* teſtantur. Ibid.

Adde R. P. Alexandrum *á S. Thereſia*, de quo ibid.

Et quid teſtes numero? Teſtes adverſum te ſunt, tum laxiora, tum *rigidiora ſectantes*.

Et laxiores quidem numquam à te dici patientur, praxim ſuam abſolvendi Conſuetudinarios; praxim communem non eſſe: ne præcipuum illis argumentum, quo praxim illam defendunt, eripias.

Rigidiores autem, quos vocas, numquam deſinent praxim illam tamquam communem tibi objicere; atque hoc argumento tuam de praxi communi doctrinam convellere.

Aut igitur tibi ad laxiores, quos nobiſcum adhuc impugnas, tandem accedendum; aut ab argumento tuo quo nos impugnas, recedendum.

Audi, quid nuper è laxioribus aliquis: "Rectè, inquiebat, Opstratius in *Diſſertatione de praxi* concludit adverſus Stejartium, "qui Conſuetudinarios adhuc vetat abſolvi; ſed non item adverſus nos, "qui Conſuetudinarios abſolvimus."

Quare, Ampliſſime Domine, niſi ad laxiores magis ac magis indies acceſſeris; vel ipſorum judicio condemnatus es.

DIFFICULTAS XIX.

Teſtatur Concilium Delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum ſub Paulo III. communes tum per Eccleſiam fuiſſe abuſus graviſſimos, atque hunc inter cæteros primum, quod in Ordinatione Clericorum & præſertim Presbyterorum *Nulla adhiberetur cura, nulla diligentia; ſed quod paſſim, quicumque eſſent, imperitiſſimi eſſent, viliſſimo genere orti eſſent, malis moribus ornati eſſent, admitterentur ad Ordines Sacros, & maximè ad Presbyteratum:*

Et tamen praxis illa communis ſic ordinandi indignos, non erat praxis Eccleſiæ: Ergo &c.

DIFFICULTAS XX.

N*Uper in Ecclesia communis erat Probabilistarum doctrina; Et tamen doctrina Probabilistarum non erat doctrina Ecclesiæ : Ergo &c.*

Quid ad hoc argumentum repones ?

An, quod *Non in sententiis quibusdam, perindè ut in administratione Sacramentorum, consistat facies nostræ Religionis, quæ dignosci queat ?*

At jam respondit *Opstrattus*, veram Ecclesiæ Religionem perindè ex sententiis seu doctrina, atque ex Administratione Sacramentorum dignosci : non enim minus falsam dignoscendam Ecclesiæ Religionem ex doctrina talia, si eam profiteretur; quam ex Administratione Sacramentorum illegitimâ, si eam approbaret.

An dices, *falsum esse probabilium doctrinam noxiam ita pervagatam esse hominum mentes & praxim, etsi libros jam & Scholas invadere cœpisset ?*

Sed & hoc ab *Opstratio* refutatum est : " Quam Scholas, omnes, ait, „ & libros non tantum invadere cœpisset, sed jam penitùs pervasisset, „ vel ex eo collige, quod ne unam quidem Scholam assignare posset „ *Stejartius*, in quam recepta non fuerit. Certè nec Schola Lovaniensis, quæ præ cæteris à laxitate semper purior extitit, nec Schola Duacensis, ab ea immunes fuerunt. Testes hodiedum illius rei extant *Wiggerius & Sylvius*, quorum ille in Academia Lovaniensi, hic in Duacensi Professor Regius, doctrinam probabilium non docuêre solum, „ sed etiam scriptis edidêre.

„ Quid cæterarum Academiarum, & Religiosorum Ordinum Scholæ tunc tradiderint; conjici potest ex innumeris propè voluminibus, „ quæ à variis variarum per Orbem Academiarum atque Ordinum „ Scriptoribus edita sunt, in quibus unanimi veluti consensu doctrina „ probabilium ut certa traditur.

„ Porrò ex Academiis & Scholis prodeunt Sacerdotes, Pastores, „ Episcopi, aliique Ecclesiæ Præpositi : qui plerumque tenent eam doctrinam, quam in Academiis & Scholis à suis Magistris hauserunt.

„ A Sacerdotibus, Pastoribus, Episcopis, aliisque Ecclesiæ Præpositis, doctrina manat in mentes Vulgi; atque hinc in praxim.

„ Ut temerè affirmet Stejartius, *Doctrinam probabilium noxiam* non „ ita *pervagatam esse hominum mentes & praxim.*" Hæc *Opstrattus* in Dissert. de praxi Administ. Sacram. Pœnit. part. 1. cap. 1. §. 8.

Quid post hæc Stejartius? Nihil : nisi quod vi argumentorum quandóque pressus dixerit; vel doctrinam probabilium non ita communem

fuiſſe ; vel non ita receptam à Vulgo ; vel denique non tanto tempore communem fuiſſe.

Quod ad duo priora attinet : petit principium *Stejartius*, ſupponens id quod probandum eſt, ut ſolet, dum probare non poteſt, quod debet. Circa tertium nova Difficultas movenda eſt.

DIFFICULTAS XXI.

" DOctrina probabilium, dicet Vir Eximius, etſi ad modicum „ tempus communis in Eccleſia fuiſſet ; nihil tamen indè concludi „ poſſet adverſus praxim Adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, „ quam defendo : utpotè quæ non modico ſolum tempore, ſed jam à „ ſæculis aliquot communis in Eccleſia fuerit."

R. Imò verò multum indè adverſus praxim iſtam concluditur : nam baſis præcipua, ſuprà quam praxim ſuam fundat Vir Ampliſſimus, hæc eſt : *Ea praxis eſt praxis Eccleſiæ, quæ in Eccleſia communis eſt* : Baſis autem iſta corruet ; ſi praxis aliqua poſſit eſſe in Eccleſia communis, quæ tamen non ſit praxis Eccleſiæ, eo quod tempore ſat longo communis non fuerit. Atque hinc nova Difficultas.

DIFFICULTAS XXII.

DEterminet Vir Eximius, quanto tempore opus ſit, ut praxis in Eccleſia communis, fiat praxis Eccleſiæ.

DIFFICULTAS XXIII.

AT quoniam hoc difficile videtur ; ad primum ſuum principium recurret ; dicetque praxim omnem, quæ in Eccleſia communis eſt, eſſe praxim Eccleſiæ : quia ſcilicet Eccleſia ſunt Paſtores, & plebs ; ac proindè horum praxis eſt praxis Eccleſiæ.

Per me licet, principium iſtud, dum poterit, tueatur : ſed reſponſionem aliam ad argumentum à doctrina probabilium deſumptum, ſi poteſt, inveniat : ſi non invenerit ; hic tandem ſe victum fateatur. Sed en Difficultatem aliam.

DIFFICULTAS XXIV.

HÆreticis, objicientibus Eccleſiæ generales quoſdam & communes abuſus, qui in ipſa vel aliquando graſſati ſunt, vel hodiè graſ-

ſantur, reſpondent Catholici: Abuſus illos, quantumvis generales & communes, non eſſe uſus Eccleſiæ, ſed quorumdam privatorum abuſus.

Solidiſſimè: Sed Catholicis hanc Reſponſionem eripis, Vir Ampliſſime; ſi uſus ſeu praxes in Eccleſia communes, dicas eſſe uſus & praxes Eccleſiæ. Vide igitur quantis periculis, & Hæreticorum ſcandalis ac dicteriis Eccleſiam exponas.

Ad aliud argumentum confugis: ſed novâ difficultate ſolvendum.

DIFFICULTAS XXV.

„ NEque Ritualia in ſuis Inſtructionibus, neque Epiſcopi in ſuis „ Decretis eam praxim præſcribunt, quam docent mei iſti in S. „ Facultate Collegæ: Igitur praxis, quam docent, admittenda non eſt.

Rectius nos, Vir Ampliſſime, argumentari non ita pridem docuit Eximius *Renerds*: cum ad ſimile argumentum reſpondit, vitioſè illic procedi ab Autoritate negatâ. Quare ſic argumentandum fuiſſe: *Ritualia & Epiſcopi eam praxim reprobant, Ergo non eſt admittenda*: Nullum porrò Rituale aut Epiſcoporum Decretum afferri poſſe; quo ve prohibeatur, opera Pœnitentiæ quibus probetur converſio, antè abſolutionem promiſcuè exigere, ut exigunt tui Collegæ; vel jubeatur peccator recens à peccato commiſſo (puta fornicator â commiſsâ recens fornicatione) nullis præmiſſis Pœnitentiæ operibus, ut Tu doces, abſolvi.

CONCLUSIO.

HAbes *difficultates* ſat multas, Vir Ampliſſime, ſi reſpondere lubeat. Si non lubet: deſine tandem tuam *de Converſione repentinâ & praxi communi* ſententiam toties everſam, defendere; alienam verò, tot argumentis ſtabilitam, accuſare.

At non deſines, ſcio: Facillimum quippè eſt tibi Theſibus tuorum quibus præſides, doctrinam tuam quotidie inſerere; nec multò difficilius eam adverſus oppugnantes pro-